

a Mediolanensi Duce nuncupando abstinebat ; novo se adstrin-
gi foedere , Bononiensi excepto , nolebat . Pontifex licet a Se-
natu de Cæsaris consiliis , & quantis undique periculis Chri-
stianæ res jactarentur , admoneretur ; attamen ob Camertium
negotium denuo suscepsum minime parem ad tantam rem con-
ficiendam ardorem afferebat ; quamvis Ascanio Colum næ Cæ-
sar Genua discedens Italicarum rerum negotia demandasset ,
cum medium inter Carolum , ac Franciscum Paulus se futu-
rum ostenderet . Itaque Senatus acriori cura angebatur , quod
superioribus nova , atque acerbiora bella suboritura , eodem
que præteriorum annorum clades revolvendas animadverteret ;
cum intestinis dissidiis Ottomanorum quoque virium potentia ,
ac robur immineret , quos magnas undique copias cogere ;
classem triremium numero majorem instruere ; in Christianos
expeditionem moliri , Byzantio nuntiabatur . Dissidentes quo-
que , ac miserrime de religione certantes , & in se invicem
insilentes Principes , ac populi existebant ; ut nisi labentibus ,
& prope ruentibus rebus opportuno aliquo remedio subveni-
retur , nobilissimas reipublicæ christianæ partes tetricima pestis
invasura foret . Quamvis enim Concilium a Pontifice indictum
esset , Mantua civitate in id potissimum electa , multis diffi-
culturibus hoc summum afflictis rebus subsidium præpedieba-
tur , ut Veneti avitæ Catholicae religionis studio incensi Vice-
tiā urbem Synodo concelebrandæ tribuerint . Quibus tandem
commotus , atque incitatus Pontifex , legatos in Galliam , &
Hispaniam mittere statuit . Augustinus Triultius ad Franciscum ;
Marinus Caracciolus Cardinales ad Cæsarem proficiisci jussi ;
qui de communi inter Christianos Principes concordia ; de
foedere adversus Turcas iciendo ; ac de concelebrando Con-
cilio agerent .

Variis , atque dubiis adeo casibus humanæ res veluti insa-
no ludibrio miscentis cuncta fortunæ jactantur , ut nil certum
hac incerta mortalium vicissitudine , torque incassum insumptis
laboribus videatur , dum illi , penes quos summa rerum pote-
stas est , imperii augendi , ac reliquis dominandi inexplebili
adeo cupiditate ducuntur , ut bella e bellis ferendo in popu-
lorum perniciem , urbium cladibus , & provinciarum excidiis
acerbos calamitatum omnium fructus , nullum tranquillitatis ,

1536

Cæsar rei
Itallicarum
negotia A-
scanio Colu-
mna dema-
dat .

Concilium
prius Man-
tuæ postea
Vicetia in-
dictum .

Pontificis
legati ad
Cæsarem &
Gallia Re-
gem .

nul-